

illic apud ostia Tiberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo soli valde dulciter, et praeterita obliviscentes, in ea, quae ante sunt extenti, quaerebamus inter nos apud praesentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita aeterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluentis fontis tui, fontis vitae, qui est apud te, ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea prae illius vitae jucunditate, non comparatione, sed nec commemoratione quidem digna videretur, erigentes nos ardentiore affectu in id ipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum coelum, unde sol, et luna, et stellae lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius, cogitando, et loquendo, et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israël in aeternum veritatis pabulo, et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quae fuerunt, et quae futura sunt; et ipsa non fit, sed sic est, ut fuit, et sic erit semper; quin potius fuisse, et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam aeterna est. Nam fuisse et futurum esse, non est aeternum. Et, dum loquimur et inhiamus illi, attingimus eam modice toto ictu cordis, et suspiravimus, et reliquimus ibi religatas primitias spiritus, et remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur, et finitur. Et quid simile verbo tuo Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innovanti omnia? Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiae terrae, et aquarum, et aëris, sileant et poli, et ipsa sibi anima sileat, et transeat se, non se cogitando, sileant somnia, et imaginariae revelationes, omnis lingua, et omne signum, et quic-